DISSERTATIO
INAUGURALIS OPHTHALMIATRICA
SISTENS
TRACTAMEN
INFLAMMATIONUM IDIOPATHICARUM
EARUMQUE EXITUUM IN OCULO,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. Professorum

pro

Doctoris Medicinae atque Chirurgiae Laurea

SUMMISQUE IN MEDICINA AC CHIRURGIA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

in

CELEBERRIMA ACADEMIA

C. R. MEDICO-CHIRURGICA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Joannes Evang. Andrysek,
Moravus Drahotuschensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Novembris 1840.

Vindobonae.
Typis Caroli Ueberreuter.

Wirke! das ist das grosse Gesetz in des Tempels
Tafel gehauen. — —

Klopstock.

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros,
Hostis adest — —

Virgilius.

EXCELLENTISSIMO AC CELSISSIMO

Domino Domino

AUGUSTO FRIDERICO LUDOVICO

VIESSE DE MARMONT,

DUCI DE RAGUSIO,

MARESCHALLO DE GALLIA, EQUITI ORDINIS SPIRITUS SANCTI,
INSIGNI ORDINIS MAGNAE CRUCIS SANCTI LUDOVICI,
LEGIONISQUE HONORUM

etc. etc. etc.

DOMINO DOMINO

DOCTISSIMO

ERUDITIONE, MANSUETUDINE

HUMANITATE AC LIBERALITATE

PRÆCLARO

BONARUM ARTIUM SCIENTIARUMQUE FAUTORI

nec non

MAECENATI GRATIOSISSIMO, BENIGNISSIMO

PRIMOS HOS LABORUM MEDICORUM FRUCTUS

in

PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS CULTUSQUE PERENNIS

MONUMENTUM

PIISSIMA CUM DEVOTIONE

dedicat

devinctissimus

Auctor.

Lectori salutem!

Primitiae meae nituntur dissertatione inaugurali titulum gerente: Diagnostische Tabellen der Augenentzündungen, quam Doctor Vockenberger, olim assistens in clinico ophthalmiatrico C. R. Academiae Josephinae, sub auspiciis Illustrissimi D. D. Prof. Jaeger altera jam vice typis incudi curavit, cujus dissertationis partem solummodo unam: Inflammationes idiopathicas, perlustrans, scopo adaptavi meo. Ideo quemadmodum illius labor diagnosin inflammationum in oculo ex phaenomenis rite adlatis constabilivit; ita ex altera parte meum erit conamen, ostendere: quomodo quilibet Aesculapii filius in inflammationibus istis idiopathicis earumque exitibus, scientiam et artem suam acquisitam sanitatis recuperandae gratia, amore, more, ore et re in usum habet vo-

candas. Ast credere noli, opusculum hocce integrum omnibusque numeris absolutum esse, quod profecto, si tironi, (ob temporis brevitatem impossibile) liceret, secundum regulas inflammationum generales elaborassem, ubi quolibet in casu speciali pro et contra disputando singulas indicationes citassem statuendas, rectaque dein nonnisi seligendo scripsissem. Verumvero ne dicta iterum dicantur et scripta iterum scribantur, necessaria duntaxat quocumque in casu collegi typisque tradidi. Ceterum multa uno in loco sunt dicta, quae altera in plaga silentio praeterivi, tametsi iterum dicenda fuissent, haec itaque per invicem sunt supplenda, et quae demum plane desiderarentur, sicuti: integra ordinatio diaetae, fusior explanatio regiminis e. s. p., haec medicus sagax in auxilium vocatus actu redintegrare studeat precor.

Dabam Fabianae die 21. Octobris 1840.

Auctor.

I. Anchylops seu ancylops

von: αγκυλη, *der Winkel,* und: ωψ, *das Auge; daher: Augenwinkelgeschwulst.*

Tractamen morbi hujus cum stadio et gradu ejusdem vario variatur et tamen ubique secundum regulas inflammationum generales procedendum esse, medicorum quis dubitet? Perpendas igitur, priusquam agas, momenta praedisponentia atque occasionalia, et si vales, abigas eadem, vel saltem actionem comminuas eorum. Tolle itaque diathesim scrofulosam, vel saltem ad minimum reduc eandem gradum secundum praecepta, in libris practico-medicis data. Metastasin atque metaschematismum, in causam anchylopis si essent, derivando, cura per infrictionem unguenti ex tartaro stibiato parati, in cervicem aut dorsum. Cetera, quae causas adtinent auferendas, vide et tractamen ophthalmiae idiopathicae serius adducendae, et generalia de inflammationibus in libris medicis. Priusquam autem ultra progredieris exitum verosimilem proximum immediatum hujus inflammationis spectes oportet, qui pro variis circumstantiis varius esse potest, et quidem: 1. aut resolutio, aut 2. suppuratio, forsan et 3. aegylops. Prolato tractamine inflammationis praesentis, secundum varietatem horum exituum verosimilium, adducam et curam exituum ipsorum tam immediatorum, quam mediatorum.

1. Resolutio.

Opportuno si vocatus fueris tempore, quo adhuc symptomata, originem anchylopis nuper factam declararantia vides, puta: tumorem vix enormem, ruborem laetum diffusum in ambitum exiguum, calorem amoene auctum doloremque lancinantem atque pungentem, scito, alliciendam esse resolutionem et quidem hac ratione: Imponas loco ab inflammatione modice remoto sufficientem hirudinum medicinalium numerum; infantibus debilioribusque individuis, si numerum circiter determinare vellem, 4—6, adultis autem atque robustis 8—12. Hirudinibus delapsis, sanguinis copia major ut manare possit, curabis. Abacta sanguinis manatione, frigida superstruas fomenta ope glaciei vel aquae glacialis facta vel et ope aquae saturninae glacie circumdatae parata. Vehementiam inflammationis sese

tamen evolventem mittiges reiterata hirudinum adplicatione et insuper refrigerantibus laxantiis, quae succuum massam ad tubum vehunt alimentarem. Sed et regimen ac diaeta summa sunt digna attentione. Paccatam itaque ut aegro concedas quietem, tranquillum ut ordines pausilypum, hilarem ut praebeas animum, refrigerantes ut assignes res omnes eum ambientes, diaetamque summe restrictam ut concedas, tuum est. Oculum autem ipsum ad resolutionem usque impetratam, ab omnibus defende influxibus nocivis, uti: ab aëre impuro, humido, multum ventilante, a luce intensa, ab omni intentione nimia e. s. p.

2. Suppuratio.

Resolutione non successa, momentisque resolutioni faventibus jam elapsis, omnia iterum phaenomena inflammatoria consideres oportet, et alterum hujus morbi eventum: „suppurationem" exspectabis; praeprimis dolores aeger si accusat pulsantes, tumorem medicus brevi tempore justo plus adtolentem et distincte circumscriptum si agnoscit, ejusdemque colorem saturatum caeruleo-rubrum si conspicitur. Hanc, inquam, suppurationem nascentem ne turbes, imo omni modo adjuvare ut studeas; ideo maturationem abscessus ut acceleres, nec non abscessum maturatum brevissimo ut aperias tempore, perquam opus est. Coquantur hunc ad finem crustae panis similaginei in lacte, quibus et pauxillum de croco sativo injicere fas est, tepidum exinde paretur cataplasma, linteo, nequaquam crasso, involvendum, anchylopi suppuranti adaptandum et per diem abscessui huic superimponendum. Noctu simplici abscessus tegatur emplastro, e. g. emplastro de cerussa, vel emplastro saponato. Ast non raro accidit, quod emplastra plane non perferuntur; tunc nil nisi compressorium ex linteo paratum pluriesque complicatum noctu impone et auctam hac ratione in hocce abscessu temperaturam sustinere tenta. Quam primum autem in loco quodam sub digito explorante fluctuationem detegis, illico dein abscessum ut aperias, necesse est, etiamsi puris coacervatio exigua, duritiesque inflammatoria non penitus evanita esset. Fac igitur, ut ope scalpri chirurgici hanc abscessus plagulam vulneres, ubi fluctuationem apertissime percipis, et quidem hac longitudine, ut vulnus, si ab inferiori abscessus hujus incipias parte et ad superiorem scindas versus angulum oculi internum, ad 4—6 lineas extensum sit. Quo facto, mundetur abscessus spongiola molli, et dilatetur vulnus scissum supra introductum specillum excavatum subtile, cum tenello scalpello, acumine ad amussim instructo, primum ver-

sus inferiorem dein superiorem versus abscessus partem consque, donec incisio longissimo abscessus diametro aequetur et fundus in tota pateat circumferentia. Tali incisione facta, nec praeoccupata vulneris conglutinatio, nec puris subsidentia sunt timendae, tametsi nulla infigantur corpora peregrina, uti: Plumaceaux, bourdonnets e. s. p. Scindendus est denique abscessus integer secundum decursum fibrarum musculi orbicularis, ut cicatrix serius impetrata cum rugis palpebrae inferioris coincidat, minoremque efficiat deformitatem. Finita operatione vulneri corpora infigere noli peregrina; verumvero cataplasmata prius descripta tam diu sunt adhibenda, donec omnis durities tam in circumferentia, quam in fundo abscessus evanuerit, et vulnus factum in plasticam telae cellulosae transmutatum fuerit suppurationem. Impetrata hacce suppuratione deliga fundum hujus abscessus cum unguento paululum stimulante, e. g. cum unguento basilico, vel unguento digestivo; nec unguentum nocet Elemi, vel si unguenta haecce non perferrentur, infusum adhibeas chammomillae, quod si tinctura myrrhae aut vino camphorato tantillum impraegnatum fuerit, ope laciniorum linteorum imponere fas est. Hoc autem tractamen in hoc usque prolongabis tempus, donec fundum vulneris hujus granulationibus sanis repletum eumque cicatrisantem conspicias. Quod denique laxantia, si cura est justa, certis temporum intervallis ordinanda optime quadrent, memor esto.

3. Aegylops.

Tractantis inflammationis immediatum in ulcerationem transitum fere nunquam observare licet, eo minus durante adhuc inflammatione ulcerationem immediatam instantem augurari ac praevidere quisquam valebit; ideo et tractamen contra ulcerationem instantem instituere nefas est. Verumvero per suppurationem longam circumstantiis inimicis supervenientibus ulcerationem allici posse, nemo dubitabit; et hanc potius jam evolutam medicus habebit tractandam. Sequitur ergo tractamen ulcerationis jam evolutae:

Nil valent, etiamsi omnibus ex pharmacopolio usus fuisses medicamentis, nisi talem aegylopeos construas formam, ut labia ulceris hujus cum fundo, quoad circumferentiam concordent. Subducas ergo hunc ad finem specillum excavatum argenteum subtile labiis subrutis, eaque supra hoc specillum inscindas sursum ac deorsum et urgente necessitate sinistrorsum dextrorsumque. Sed praesente aegylope inveterato profunda puris coacervatio in angulo oculi interno canaliculis lacrimarum, ac ten-

dine musculi orbicularis tegitur; ideo summe attendendum, ne sub dilatatione ulceris hujus dictae laedantur partes. Nonnunquam autem labia haecce caerulescunt, magis magisque subruuntur et praeter modum adtenuantur; hoc in casu, crede me hercle! quod chirurgis artis ophthalmiatricae gnaris abscissio talium praeplacet labiorum ope forcipis Cooperi aut Davieli. Peracta hacce abscissione fundum tracta relictum secundum ulceris hujus characterem, et quidem: malum praesens cum actione sufficienti atque reactione laudabili (status hujus notio ex chirurgia tibi nota) tractandum habes, quemadmodum anchylopem post depletionem puris curare jam cognovisti. Sed heroicum tractamen idque stimulans adhibere ne timeas, si aegylops longius per tempus jam perstat, operatio fors necessaria jam pridem si facta fuerit et emelioratio tamen perexigua vel penitus nulla est conspicienda. Injicias itaque, dico, prius jam dictis unguentis pauxillum de praecipitato rubro aut de camphora, aut myrrha e. s. p. vel misceas unguenta ista cum vino camphorato vel infuso ex herbis aromaticis parato, serius et cum decocto chinae. Reactionem exinde natam sub hocce tractamine tamen perexiguam si agnosceres et fundum aegylopis inveterati discolorem luridumque si videres, noli dein acta agere, multa diversaque insimul adhibere, imo ad potentiora refugias velim remedia, eaque methodice ut adhibeas necesse est. Linas ideo praestantissimo, ne dicam, ultimo medicamine: „Lapide infernali" fundum integrum adeo, ut tota destruatur superficies. Crustam exinde natam illiniendam habes aut oleo amygdalarum aut oleo olivarum; ejus autem delapsum natura ut efficiat, attende, et evitanda fomenta aut cataplasmata calida ne adplices. Crusta delapsa inflammatio indubie adparet benignior, suppuratioque plastica ad sanationem usque simpliciter tractanda. Sanatione denique impetrata caveat aeger cicatricem ut irritet; proclivitatem autem ad recidivas refrigerantibus ut minuat medicus laxantiis, atque tepidorum usu balneorum necesse est.

Ad mediatos anchylopis eventus infelices spectat:

Fistula sacci lacrimalis.

Mediante solummodo ulceratione, fistulam ex anchylope jam incompletam, jam completam oriri posse, scimus. Hunc ergo anchylopis eventum mediatum praecavere si velles, ulcerationem rite tractare deberes (sicuti jam tibi notum) opportuno si vocatus fuisses tempore. Ast fistula tamen si exorta fuerit, abstineat sese medicus ab omni imprudente ac violenta exploratione, si jam orta est fistula sacci lacrimalis. Ad summum semel per diem fistula haecce ope siphunculi, quem prius aqua

tepida cum pauxillo laudani liquidi implevisti, venit mundanda, nequaquam autem corpora peregrina dura, uti: turundae, bourdonnets etc., sed tenera fila, si tamen aliquid facere velles, ex linteo carpto molli ducta, laudano liquido Sydenhami impraegnata, inserere fas est ea cum cautela, ne saccum tangant fila haecce lacrimalem, et conglutinationem ostii sacci lacrimalis praepediant. Crescente per hocce tractamen ulceris externi coalitione, coalescet et ostium sacci lacrimalis exulceratum, quae coalitio nullo modo est turbanda. Blennorrhoea forsan relicta serius pertractabitur sicuti et cetera de fistula lacrimali suo audiebis loco.

II. Hordeoleum seu chrithe,

von: ἡ κριθη, die Gerste; daher das Gerstenkorn.

Omnia, quae ab initio, antequam de exitu anchylopis loquutus sum, protuli, valent et de hocce casu et de reliquis huc pertractandis. Ultra autem progredientes, eventus iterum hujus morbi verosimiles immediatos proximos, spectemus oportet, quos cognovimus sequentes: 1. resolutionem; 2. suppurationem; 3. chalazion.

1. Resolutio.

Abigimus hordeolum nuper exortum, si (quoad generalia) commorationem patienti commendabimus in aëre puro ac sicco, diaetam aptam ac restrictam ceteraque omnia, quae in aliis inflammationibus commendare didicimus. Topice autem agenda multifarie ne variemus. Praeprimis inservient fomenta frigida, ope compressorii cum aqua frigida vel oxycrato impraegnati, aut laminae metallicae frigidae, cui permulti praeclaram adscribunt virtutem, pluries per diem hordeolo adprimendae et mox, fortuna si favet, hordeolum abigendum esse fertur. Quoad caetera vide anchylopis resolutionem.

2. Suppuratio.

Hordeolum per suppurationem medendum, tractamus sicuti anchylopem suppurantem. Ast pluries abscessuum antra, etiamsi pus effluxerit, non collabuntur ex integro et quidem propterea, quoniam antro minutum insidet obturaculum ex tela cellulosa soluta conglutinatum, quod sola suppuratione evehi non potest. Expulsionem itaque hujus obturamenti promoventes ex latere sibi invicem opposito pressionem abscessus hujus modicam digitorum ope adhibere rati sumus. Frustra autem si fuis-

set hocce tentamen tentatum omnem dein operam navare nostrum sit, ut emortua haecce tela cellulosa destruatur. Scopum hunc adsequemur, si telam nominatam aut cum spiritu vitrioli, aut butyro antimonii impraegnamus, et quidem, dum guttam de alterutro medicamine ope penicilli aut bacilli lignei abscessus antro immittimus, quo facto obturaculum solvitur et effluit. Postquam autem omnis evanuerit durities, tegitur abscessus evacuatus emplastro dyachili composito, abscessui adaptato. Laxitas palpebrarum cutis nonnunquam remansa mox, ni fallor, evanescit, aut si hoc non contiguerit, evanescet usu adstringentium collyriorum, uti: aquae vegeto-mineralis Goulardi, aquae saturninae, laudano liquido Sydenhami impraegnatae etc.

3. Chalazion seu chalozosis externa, lythiasis, grando, tophus, porosis palpebrae, lapis palpebrarum.

Abigitur chalazion, si per curam hordeoli non praecavetur, aut resolutione, aut suppuratione, aut exstirpatione. In primo morbi hujus momento resolutio obtinetur per inflammationem ope frigoris restringendam. Prae ceteris laudatur crebrior appressio laminae metallicae frigidae, e. g. cultri aut cochlearii; sed et aqua prodest frigida. Resolutio autem si non obtinetur, suppuratio est invitanda, ut massa tuberculosa solvi, et soluta ex integro evehi possit. Ast solutio ista, quae per suppurationem aut per resorbtionem fieri debet, pluries sistitur; hoc in casu incitandus est processus iste, pharmaca solummodo adhibendo. Tegimus hunc ad finem porosin cum emplastro, ex emplastri cicutae, hydrargyri et dyachili compositi annaticis partibus parato, mane vesperique renovando; et insuper unguentum hydrargyri cinereum pluries per diem in circumferentiam inungimus, vel praesente statu palpebrarum perquam torpido ad spirituosa aufugimus remedia, e. g. ad spiritum lavandulae, v. roris marini merum vel modica dosi tincturae cantharidum impraegnatum, tali circiter modo, ut spiritus uncia una guttas **10—15** tincturae teneat. Sed et balsamus vitae Hoffmanni vel liquor ammonii puri, vel aqua Coloniana vel naphtae vel tinctura opii adhibeantur; etiam chemica remedia in usum vocantur, uti: lapis infernalis et causticus; praeprimis si in interna tarsus facie tophus residet. Praeterea repetitis per diem vicibus aut digitis solis cum saliva, aut ope panniculi tepefacti porosin fricamus. Hac ratione grando tractata aut lente decrescit, mollior mobiliorque evadit et ex integro demum evanescit, aut regrediens de novo inflammatur, quam inflammationem dein, sicuti hordeolum, curamus, aut denique

porosis immutata manet vel increscit, quin vestigium ullum sensibilitatis majoris detegatur; quo in casu chalazosis longe perstans, dura et motum palpebrae inhibens, exstirpetur necesse est. Omnes autem tophi cum dyscrasia aliqua, praeprimis cum scirrho aut cancro mammarum vel uteri incedentes, intacti ut maneant, memento; nam omne tentamen tophum talem evellendi, scirrhum vel cancrum palpebrarum provocaret. Operatio autem tophi cum felici successu ut fiat, sedem ejus rescire plurimum juvabit, et quidem, num in facie tarsus externa vel interna resideat, secundum quam notionem et incisio vel in externa vel in interna tarsus facie fiat, per quam incisionem tophus ope volsellae manu sinistra tenentis et tantillum trahentis, cum scalpello manui dextrae ad regulam insito, evellitur ea cum cautela, ne palpebra fenestretur. Verumvero integram ut absolvamus curam, in sequentia adhuc animadvertamus, perquam opus est: Sit aegri diaeta bonae qualitatis atque quantitatis, digestuque levis, ejusdem motus moderatus in aëre puro et sicco; porro parcat oculis aeger, eosque lavet vicibus repetitis per diem cum aqua tepida fontana aut fluviatili. Necessaria sunt denique mox solventia, mox moderate roborantia ad internum usum medicamina; nec non balnea universalia tepida simplicia; sed et epispastica non nocent, nominatim: pediluvia irritantia, vesicantia, daphne mezereum, fonticuli; quorum remediorum ope credimus et recidivas evitare et evolutionem ulteriorem praepedire, et resorptionem ciere, et transitum in scirrhum aut cancrum, si talis timendus esset, in longissimum disponere tempus.

III. Blepharitis

von: βλεφαρον, das Augenlied, und ιτις; pleonastice blepharophthalmia idiopathica seu pseudoerysipelas palpebrarum. Idiopathische Augenliedentzündung.

Exitus blepharitidis tractamen dirigendi sunt: 1. Resolutio, 2. suppuratio, 3. gangraena.

1. Resolutio.

Inflammationis sese evolventis continuoque crescentis vis est frangenda. Removeantur itaque corpora peregrina, vulneri, si quod praesto est, insidentia; speciatim amovendus est aculeus ab insecto quodam sub ictu cuti insitus suppurationem indubie provocaturus. Aculeus autem iste oculo non armato vix est conspiciendus; hoc in casu conspicillum tanto est nobis usui, ut munitis hac ratione oculis aculeum ope volsellae celeberrimi

Beer, facile extrahere valeamus. Sic et aliae res, palpebras mechanico modo laedentes, ut amoveantur, curandum est. Amotis autem amovendis sanguinis fiat depletio per hirudines loco a palpebra inflammata modice remoto adplicatas, et dein subtilium ope atque levium compressoriorum fomenta perquam frigida oblivioni ne permittantur. Nec adplicatio aquae saturninae est spernenda; praesertim aqua glaciali si jam pridem fuerit circumdata. Interne autem refrigerantia laxantia aeque sunt necessaria. Ast nec phlebotomia sub gradu hujus inflammationis alto ultimum inter remedia huc spectantia meruit locum. Cetera vide, quomodo ophthalmiae idiopathicae resolutio impetratur.

2. Suppuratio.

Ne cogites de obtinenda blepharitidis resolutione, si eam longius per tempus frustra tentasti, aut blepharitis in suppurationem si est abitura (ex phaenomenis notum) vel in perfectam jam transmutata fuerit suppurationem; imo summa assiduitate tunc temporis curandum est, ut suppuratio producatur atque promoveatur remediis jam notis, et pus enatum quam citissime emittatur. Palpebram autem, praeter modum sensibilem et dolorificam, calidis tegimus fomentis ex decocto malvae aut althaeae paratis, quibus ad leniendos dolores adhuc pauxillum de aceto lythargyri aut de opio aut de hyosciamo adjicimus, hisque tam diu utimur fomentis, donec sensibilitas et dolores magna ex parte evanuerint. Quam primum autem sensibilitas minuitur, calida fomenta cum calidis commutentur cataplasmatibus ex pane similagineo vel farina seminum lini in lacte coctis, eaque secundum regulas jam notas adhibeantur. Maturato abscessu puris depletionem naturae committimus ob celeriorem postea conglutinationem. Ast nulla regula sine exceptione; ideo aperiatur quam citissime abscessus hicce, si individuum hoc malo pleiceteretur cachecticum, ne ductus oriantur fistulosi et quidem in plagula plurimum fluctuante cum scalpro chirurgico tali ratione, ut fiat apertura horizontalis in aequa a margine tarsali distantia. Scalpello autem retrahendo aperturam prolongabis. Verumvero pus sponte ut fluat curemus, quin corpora introducantur peregrina. Praemature enim vulnus scissum si conglutineretur, praeferenda est dein omnibus corporibus peregrinis: turundis, bourdonnets, linteo carpto etc. huic abscessui vulnerato introducendis, repetita incisio. Ast quam diu emollientia sunt adhibenda cataplasmata? Tam diu, donec omnis in circumferentia evanuerit durities. Cataplasmatibus autem remotis,

ligatura adhibeatur simplex necesse est. Unguenta omnia stimulantia procul sunto; novas enim provocant inflammationes causantque indurationes. Praesente demum malo extense circumfuso, ligaturam adcuratissime adaptandam esse (secundum praecepta chirurgis nota) ob praecavendam deformitatem, nemo est qui dubitet.

3. Gangraena.

Validissima invenies remedia huc pertinentia in tractamine ophthalmiae idiopathicae, ubi de resolutione sum loquuturus. Plura adhuc si rescire velles, laudarem tibi respectu externorum medicaminum fomenta calida ex decocto chinae parata cum electuario theriaco aut balsamo peruviano etc. Respectu internorum remediorum proponerem decocta chinae summe saturata cum remediis volatilibus, hydrogenium et carboneum tenentibus; quorum usu partes gangraenosae aut sphacelosae solutae decidunt; in cujus locum autem plastica intrat suppuratio, quae secundum notas est tractanda regulas.

Sequuntur exitus blepharitidis mediati sub tractamine inflammationis non praevidendi, ideo nec praecavendi, quos plerumque jam factos medicus habet curandos:

a) Ulceratio.

Nil est, quod vetet curam et huc adhibere aegylopeos, sed tali cum distinctione, ut mutanda mutentur et huic adaptentur casui.

b) Vitia formae.

α. Anchyloblepharon. *Verwachsung der Augenlieder unter einander.*

Hoc in casu operatio est conditio, sine qua non. Alia autem est operatio destinanda, si totale, alia, si partiale presto est anchyloblepharon. Quoad instrumenta: utimur pusillo angustoque scalpello in cuspide nodulo instructo, ac specillo excavato subtili argenteo. Quoad situm operandi: ad alterutram operationem consedeat operandus in ea sella, quae ad operationem cataractae est commendata et assistens, a tergo aegroti stans, caputque ejus pectore suo fulciens, tali procedat modo, uti sub operatione cataractae docetur. Anchyloblepharon si velles mederi partiale, distendas cum auxilio assistentis palpebras oculi operandi, easque a bulbo removeas adeo, ut adhaesio anomala fortiter sit tensa. Concretio autem si est notabilis, subducendum est primum concretioni huic specillum excavatum, supra quod incisio perficiatur; praesente autem concretione exigua non indigemus hocce adminiculo; quo in casu potius scalpellum

ipsud, cujus tergum bulbo est obvertendum, concretioni palpebrarum subducatur, concretioque inscindatur scalpellum versus exteriorem partem extrahendo. Anchyloblepharon totale si venit operandum, sequenti procedes modo: Tolle cutim in medio palpebrarum rimae in formam plicae longitudinalis a fronte maxillas versus directae eamque transversim scalpello inscindas ventricoso, ea ratione, ut incisio recte in palpebrarum rima fiat et hac sectione rima aperiatur. Facta incisione introducatur in aperturam hancce specillum excavatum subtile argenteum, supra quod rima dilatetur versus angulos oculi ambos, scalpello prius jam descripto. Ceterum persuasus esto, ad scopum impetrandum et alteram indicationem: „praecaveatur reiterata palpebrarum concretio" perquam necessariam esse. Omne itaque emolumentem, quod invenisse opinamur, consistit in eo, ut anguli oculi operandi ambo durante medela aperti teneantur. Fronti ergo palpebra superior, et malae palpebra inferior ut adhaereat studeamus, quod efficere, si emplastrum adest firmiter adhaesivum, arduum non est. Ast clauduntur nonnumquam tamen palpebrae etiamsi praeclare emplastrum adhibuerimus adhaesivum. Perforentur hoc in casu palpebrae in loco a margine tarsali aliquid remoto acu vulgari, cujus ope filum perducitur sat firmum tali ratione, ut palpebras inter ex filo pedica oriatur in medio discindenda. Factis his rebus pendebunt ex alterutra palpebra fila duo, quorum ope palpebrae diducuntur et quidem alia sursum, deorsum alia, qua in positione ut maneant curabimus, si fila palpebrae superioris fronti, illa palpebrae inferioris malae cum emplastro firmamus adhaesivo. Finita operatione amovendam habemus inflammationem futuram per frigida fomenta. Ceteris indicationibus satagere credimus per curam vulneris simplicem cuilibet chirurgo notam.

β. Symblepharon. *Verwachsung der Augenlieder mit dem Augapfel.*

Symblepharon totale est insanabile, et partiale, sanatu difficillimum, tali curamus modo, sicuti curare didicimus anchyloblepharon, iisdem et instrumentis utimur. Removeatur ergo iterum palpebra operanda a bulbo ad possibilem usque distantiam, introducatur scalpellum bulbum inter et palpebram et discindatur adhaesio anomala scalpellum extrahendo. Callosam autem cicatricem, nonnumquam symblepharon formantem, ope volsellae comprehendentes in alterutro insertionis puncto cum forcipe C o o p e r i exstirpamus. Sed et post hanc operationem reiteratam praecavere concretionem nobis interest. Hunc scopum adtingimus plane eadem faciendo, quae post operationem morbi praegressi adhibere rati sumus.

Una vice celeberrimus Prof. Jäger felicissimo cum successu medebatur symblepharon partiale post oculi, per calcem causticam, exortam corrosionem, ubi jam plures medici sagaces pristinam restituere sanationem frustra tentarunt, conjunctivam nempe sanam ex vicinia adtrahendo tali ratione, ut partes heterogeneae sese invicem tangerent.

γ. Coloboma palpebrarum.

Medebitur coloboma, nisi substantiae jactura notabilis vetet operationem, per suturam nodosam vel circumvolutam, sicuti labium leporinum.

δ. Lagophthalmus, oculus leporinus.

Ad tensionem cutis minuendam et cicatricem emolliendam, per infrictiones mucosas et oleosas, fomenta, imo et per mechanicas frictiones palliativam solummodo curam adhibere conamur. Radicalis autem medela per operationem impetrabitur, et quidem per triquetram palpebrarum excisionem conjunctionemque subsequam per primam intentionem. Ast proposita: cicatrices formare latas, easque extendere et in fundo discindere vel et novas formare palpebras, secundum rhinoplasticae praecepta, felicissimos sperare sinunt eventus.

ε — ζ Ectropium — entropium.

De his Dr. Weisseles in dissertatione sua inaugurali praeclare disseruit.

IV. Encanthis

von: ἡ εγκανθις, *ein Augenwinkelübel; besser: Entzündung der Thränenkarunkel.*

Easdem, quas hucadusque observavimus regulas, et ultra observandas habemus. Respicientur ergo iterum eventus verosimiles vel revera jam enati, qui sunt sequentes: 1. Resolutio, 2. suppuratio, 3. induratio, 4. rhyas, 5. encanthis fungosa, 6. encanthis scirrhosa.

1. Resolutio.

Nulla alia, quam quae sub resolutione blepharitidis praescripta fuerit ordinatio est observanda, hujus inflammationis resolvendae gratia.

2. Suppuratio.

Nec hanc aliter curabis, quam hucadusque eam curare didicisti. Hic locorum tandem notandum esset: tumorem rubo-

remque carunculae lacrimalis abacta suppuratione remansum evaniturum esse, hunc illiniendo cum tinctura opii simplici, aut instillando tenuem solutionem zinci sulphurici. Ast haec remedia in usum non sunt vocanda, priusquam non omnis evanuerit carunculae lacrimalis sensibilitas, omnesque dolores, nisi recidivas reiteratas, indurationem vel et fungositatem provocare velis.

3. Induratio.

Vide, quomodo chalazion curavimus, et profecto necessaria invenies ad indurationem praesentem optimo cum effectu medendam.

4. Rhyas.

De sanatione hujus mali mentionem facere nolo, et si tamen aliquis hoc malo praeditus, consilium peteret ex me, commendarem ei solummodo expressionem anguli aegrotantis saepius repetitam ope muccinii subtilis lintei, ut lacrimarum stillicidium evitetur.

5. Encanthis fungosa

oriens cum inflammatione adhuc progrediens per antiphlogisticam medebitur methodum. Imponimus ideo hirudines aliquot medicinales circa angulum oculi aegrotantis internum, iisque delapsis fomenta adhibemus cum aqua saturnina, donec omnis evanuerit inflammatio; dein illinitur caruncula lacrimalis cum tinctura opii simplici, aut in angulum instillatur aegrotantem zinci sulphurici tenuis solutio. Si autem encanthis ad magnitudinem usque nucis avellanae increverit, nil amplius dein pharmaca proderunt, et cauteria forent periculosissima; carcinoma enim eo citius evolveretur. Exstirpabis itaque frustum carunculae sat magnum. Hunc ad finem utimur volsella Blömeri forcipeque Cooperi. Situs aegroti est idem ac sub operatione cataractae. Assistens a tergo aegroti stans, caput ejus fulciens ambas aperiat palpebras. Medicus autem operans capiat partem tumoris maxime prominentem cum dicta volsella et rescindat dimidium, aut praesente encanthide magna, duas tertias tumoris istius partes. Plus de tumore etsi permagno resecare, nefas est, nam timendum foret, ut caruncula sequente suppuratione praeter modum minueretur, imo ut penitus evanesceret. Finita operatione sanguifluxus, ne illico cohibeatur, imo longius per tempus ut sustineatur necesse est. Inflammationem tamen sequutam fomentis amovemus frigidis. Inflammatione ac

sensibilitate vulneris penitus evanitis, praesenteque suppuratione plastica, instilletur pluries per diem in angulum oculi internum solutio zinci sulphurici; ab initio solutio sit tenuis, serius lente saturatior, et tam diu adhibeatur, donec perfecta impetretur cicatrisatio.

6. Encanthis scirrhosa et carcinomatosa.

Praematura solummodo exstirpatio carunculae totius tali peracta modo sicuti partialis exstirpatio, praesente encanthide fungosa, oculum vitamque ipsam fato eripere valet. Ast scirrhus vel carcinoma aliquod per tempus jam perstans, nec per hanc operationem aliquid boni sperare promittit. Omne emolumentum constaret adhuc in exstirpando oculo integro, ceteris paribus sano, si medicus et aeger praematuro adhuc tempore exstirpationem oculi hujus decernerent. Serius et haec operatio sero veniet. Hoc in casu dein nil melius esse memento, quam per curam palliativam aegro ferre lenimen, ut scirrhus cum carcinomate hac ratione retardari possit.

V. Ophthalmitis idiopathica,

idiopathische Augenentzündung.

Tractamen ophthalmiae idiopathicae, ut fiat salutare, processum vitae irritatum tumultuosum moderemus, sicuti et nisum ad hypervegetationem exstinguamus, necesse est, ut tali modo aequalitas in systemate sanguifero restitui possit; nam sanguis arteriosus ad vitalitatem atque plasticitatem evectus summam adeo operatur, ut, sublata sanguinis aequalitate et harmonia, qualiscumque actio alia supprimatur, imo sanguis ipse, decursus arteriarum multifarie curvantium causa, per semet ipsum variis in organis vario supprimitur modo. Omnia ergo, quae ad sublevandam inflammationem agenda sunt, consistunt in eo, ut processus iste excentricus cito, directe et actu praepediatur. Potissimum autem, si rescire velles, remedium atque saluberrimum, en phlebotomiam! in ophthalmitide gradu altioris; minori autem si adesset in gradu oculi inflammatio, aut individuum si vexatum esset infantile, tunc praeferre noli 6 aut 8 hirudinibus venaesectionem. Et processus iste inflammatorius energicus per sanguinis depletionem directam, imminutam ideo sanguinis massam restringitur cogiturque, abnormem arteriarum et sanguinis arteriosi actionem hunc in finem determinare, ut perdita sanguinis venosi copia ex systemate arterioso resumatur, sublata harmonia systematis sanguiferi restituatur et

hac ratione unilateraliter vitae processus excultus ad prosperam reducatur valetudinem. Superaret profecto in ophthalmia gradus vehementioris venaesectionem arteriotomia, secundum celeberrimum Rust, qui hanc in ophthalmia aegyptiaca tentavit; ast nec copia sanguinis mittendi accurate metiri potest ob arteriae contractionem et praeclusionem indeque silentem ex vulnere facto citius, quam fas est, sanguifluxum, nec necessaria ad sanguifluxum sistendum fascia pressiva tali superstrui possit modo, ut omnis evitari possit partium vulneri facto adjacentium aut arteriae ipsius inflammatio. Ideo arteriotomia hoc in casu evitanda. Dependet autem sanguinis depletio, si auxilium praestare debet, a tempore, a charactere praesentis inflammationis ejusque differentiis. Solummodo in inflammatione idiopathica sanguinis depletiones sunt proficuae et tunc tali copia veniunt faciendae, ut revera debilitas sentiatur, nam quantitas minor hoc praestare est impar. Sed ne credas, per depletionem sanguinis omnia facienda facta esse, imo potius, si caute et radicaliter hanc curare vis, in lemmata specialia sequentia animadverte:

1. Aufer causam, auferetur morbus.

Ast plurimis in casibus sero vocatur medicus, ideo et raro causam auferre valebit et tamen hanc penitus praetervidere ne audeat. Itaque removeantur influxus mechanici, chemici etc. Hunc in finem scopetur conjunctiva palpebrae superioris cum ciliis palpebrae inferioris hac ratione: Capiatur palpebra superior cum pollice ac indice manus unius, in medio removeatur a bulbo et adpropinquetur palpebrae inferiori, palpebra autem inferior ope indicis manus alterius priori subducatur et scopando ab omnibus rebus, si quae praesto sint, mechanicis mundetur. Sunt autem casus non penitus inauditi, ubi metallorum frustilla corneam vel generatim bulbum laedunt eique firme inhaerent, inflammationem provocant, sustinent, eamque ad gradum evehunt altissimum. Haecce frustilla vel acu Langenbekii vel lanceola, vel et dentiscalpio quasi effodiuntur; sed et ope pennicelli aut baccilli curvati, si palpebris solummodo teguntur, removeri queunt, vel et inversa palpebra demuntur. Hoc valet et de ceteris rebus mechanicis. Quae autem prodesse valent, ne praetervideantur. Sunt itaque oculi potentiis nocivis aëris, lucis atque caloris subtrahendi. Tenebrae hunc in finem circumdent aegrum, qui strenuam quietem, trunco semilevato servet, necesse est; potus acidi, serum lactis etc. sunt commendandi. Si autem ob-

rvatis observandis morbus tamen ultra evolveretur, adimplea- r dein indicatio:

2. Tollatur inflammatio.

Hoc impetrabitur partim per universalem, partim per to- cam sanguinis depletionem notabilem brevi tempore per- endam, vel et per frigus. Topicaene an universales sangui- s depletiones sint faciendae? Vide inflammationis gradum, usam, tempus, nec non aegroti vires, aetatem, constitu- nem etc. Venaesectio ipsa tali copia erit instituenda, ut lsuum plenitudo atque durities evanescat, calor, dolor et essio in oculo minuatur, plerumque 8—10 unciae, raro plus aittitur, nisi hoc individuum robustum, magnitudo tumoris t summus inflammationis gradus (instans gangraena) expo- at. Rarissime autem accidit, quod sanguinis depletione sola flammatio infringeretur adeo, ut cetera omnia natura sola, iamsi fortis esset, superare valeret. Hoc in casu frigus plu- num proderit, et si inflammatio modice tantum est fracta, picae sunt indicatae sanguinis depletiones, sicuti et in inflam- atione initiante, ubi in loco ab oculis remoto instituuntur. Fri- is autem ultra modum ne adhibeatur; quia perseveranter et ngius adhibitum erethismum provocare valet. Ast tertia die t quarta, si regrediuntur dolores atque calor, illico frigus moveatur, et remoto frigore, si minuitur dolor, tunc per ras aut dies frigus ne adhibeatur, serius autem ad frigus re- rti si velles, urgente necessitate, bene progredieris. Tam pidum autem inflammatio haec si diligeret decursum, ut ex- hthalmitis, encephalitis et gangraena oculi timendae essent, l jam instarent, dein cunctari noli, imo accelera tractamen tiphlogisticum perquam strenuum, uti: sanguinis depletiones m magnas, ut debilitas revera inducatur, glaciei adplicatio- m strenuam et interne nitrum dosi magna, chinam, acida ineralia etc. Neglecto autem hocce tractamine energico se- iitur indubie mors partialis. Dictorum autem medicaminum vir- tem sine regimine justo ac diaeta adcommodata, nec videre ebit. Se- et excretiones ne sileant, sic et complicationes ac mpositiones ne praetervideantur praeprimis in organis chymi- ationis et chylificationis ac assimilationis. Propinantur hunc l finem refrigerantes sales, secretionem tubi alimentaris pro- oventes, tali dosi, ut 2—3 alviductiones quotidie sequantur; ocerent excretiones majores. Porro nitrum vel in emulsione vel mixturis cum pauxillo tartari emetici; nec calomel dosi mo- erata ad ultima pertinet arma.

3. Pseudocrises, si quae praesto sunt, tractentur.

Praesentibus circumstantiis adversis inflammatio non reso vitur, imo in alium transit processum morbosum, et medicu tunc demum si vocatur, hunc pseudoprocessum moderandu dirigendum atque omni modo incolumem reddendum habet. quamquam secundum celeberrimum Frank omnis inflammati omni momento apto rectoque tractamine resolvi queat, quin tempore resolutio exspectetur, tamen crises provocare ad res lutionem necessarias in medicorum potestate non est; nam cr ses prolicere conamen et effectus est naturae medicatricis revera morbo solummodo perfecte evoluto eoque in acme posi crises proveniunt; quapropter crises vi extrahere vana esse medicorum conamina. Ars solummodo organismum ad cris praeparare et si intrarent, has dirigere, excedentes modera insufficientes tardasque promovere, suis ut tendat adminicul necesse est: et tunc primum, si observatis observandis, pseu docrises enascerentur, hae sunt tractandae. Ad pseudocris autem in ophthalmia idiopathica numerantur:

1. Suppuratio

bulbi superficiem citius ac parenchymatosam hujus organi com pagem corripit, et quidem jam 2. die, si vehemens est inflam matio, plerumque autem 3. inter et 5. Inflammatione idiopathi ca organa vasis repleta citius, quam alia corripiuntur, ideo in ophthalmitide iris, choroidea ac corpus ciliare citissime in flammantur atque lubenter suppurant; nam suppuratio solum modo processus inflammatorii est continuatio, ideo et tracta men a priori non multum differt. Propriis autem si reservati pus receptaculis majori minorique copia varia oriuntur mali hu jus nomina tractamen dirigentia, uti: hyppopion, hydrops pu rulentus etc. Suppuratio cujuscumque organi nobilis, ne intre attendas, et si postulatum hocce vires naturae atque medici su peraret, hanc ne sibi solam committas, imo hanc minuere ac re sorptionem intendere studeas. Ad scopum huncce obtinendu methodum selige antiphlogisticam: sanguinis depletiones uni versales ac topicas; ergo phlebotomiam, hirudines retro aure ad regiones temporales, ad colum, sed et circa oculos prae missa venaesectione; dein solventia refrigerantia et purganti remedia praeprimis drastica: calomel, jalappam, cremore tartari etc.; porro ab aëre et luce oculus est defendendus; pen deat ideo ante oculum inflammatum panniculus ex linteo paratu Ad hyppopion curandum calorem selige humidum: cataplas

ta ex cicuta, hyoscyamo et croco e. s. p. Ad tensionem mitendam resorptionemque intendendam inungas Mercurium cum t sine opio omni bi- vel trihorio super arcum superciliarem. st venaesectionem resorptio venis peragi videtur. Saepius, i tractamen fuerit rectum, pus manet coacervatum, cujus rtinacitatis causa persaepe est ignota vel saltem non sat ura, saepe influxus nocivi novi culpam suppurationis contiuae gerunt. Hoc in casu calomel cum digitali optimum remeium. Si autem affectiones nervosae praesto sunt, tunc hyoiamum, opium aut belladonnam oblivisci noli et topice utere guento mercuriali praeprimis secundum W a l t h e r : *Rp.* Praepitati albi gr. 1—2 ad unciam unam infusi malvae, cum spitus vini camphorati, vel tincturae opii scrupulo 1—2. Nec lorem omittas artificialem cum herbis aromaticis. Ipsa puris epletio fuerat in usu, cujus abominationem S c h m i d t et S c a ra exoptarunt, sequenti argumentantes ratione:

1. Pus et sine punctione evanescere. 2. Punctione facta t vulnere conglutinato pus iterum coacervari. 3. Denique proessum inflammatorium vulneratione augeri suppurationemque rolongari.

His objiciebant:

a) Quod medicaminibus adhibitis perquam proficuis pus tamen non resorbeatur.

b) Quod abscessu naturaliter vel artis ope aperto emeliorationem multoties experti simus.

Ex his sequentes statui possunt indicationes ad puris depletionem:

1. Si resorptio exspectanda non est, et suppuratio ex 6—12 horis silet, nullum augmentum, nullaque imminutio est videnda.

2. Inflammatio, si mitescit, cornea minus tensa si adparet, photophobia si minuitur, verbo: abscessus si est maturus et medicus timeat, quod pus qua potentia nociva inflammationem de novo cieret.

Obveniunt nonnumquam casus, ubi praesente inflammatione puris depletio ruptione camerae anterioris facta est, ideo

3. rexis atque oculi colliquatio si minatur ob puris copiam permagnam, vel et dynamica ratione vastatio, si ultra propagaretur, aperitio camerae anterioris est indicata. Ne autem sanguinis depletionem vel universalem vel topicam praemittere obliviscaris hyppopio aperiendo, ac tensionem oculi magnam emollientibus minuere cataplasmatibus. Hyppopii autem aperitio, secundum circumstantias, ope scalpelli, quo cataracta extrahitur, vel ope scalpelli lanceolati lacinium formando lunatum sat magnum, est facienda pro varietate copiae puris. Sed

attendas necesse est in determinanda ostii amplitudine; pu enim in oculo tam fluidam non possidere consistentiam ac i ceteris partibus, ideo et ostium majus, ut pus effluere possit, ceteris paribus postulari. Non raro ope lanceolae est exprimendum. Aperitione facta cataplasmata atque remedia purganti sunt necessaria; saepe hirudines sunt adplicandae, imo reiterata aperitio vulneris conglutinati ope bacilli lanceolati, praesente puris coacervatione nova.

2. Productio lymphae,

in organis serosis et musculoso-membranosis (iris, corpus ciliare, membrana Jacobi, choroidea). Haec si exsudatur, abnormem causat crystallisationem, vel qua hyppostasis retinetur quae tamquam germina morbi nova agunt, novasque formas gignunt. Fit autem exsudatio vel in parenchymate, vel in superficie organorum, unde si casum respicis priorem, induratio alterum autem si spectes, pseudomembranae pro parte essent explicandae. Maxima ex parte pseudocrises in iride, corpore ciliari et choroidea inveniuntur, per quas constrictio et praeclusio pupillae, functionis oculorum turbatio et coëxistente debilitate in reproductione, staphyloma, amblyopia et amaurosis causantur. Lympha exsudata citissime crystallisatur, omnia vasa prolongantur, novaque explicantur et pseudoproductum hac ratione sustinetur, in quo producto qua parasitico inflammatio evanescit, et dein nec natura, nec ars emeliorationem visibilem, eo minus hujus morbi amotionem plenariam suppeditare valent. Exsudatio si facta est in parenchymate, desorganisatio plenaria in conspectum venit, et insuper, si proclivitas ad morbos praesto est magna, processus perquam maligni non immerito sunt timendi, e. g. in scrophulosi scirrhus, cancer lubenter evolvuntur. His locis indicata sunt remedia absorptionem intendentia, ast tantummodo, pro dolor! ut aliquid actum sit; nam revera admodum exiguum experiuntur aegri lenimen. Quo minus malum hoc est inveteratum, quo minores structurae adsunt abnormitates, eo magis omnia nocent medicamina. Hic solummodo sequelae sunt moderandae atque arcendae. (Comminutio atque paralysis postulant, ut vitalitas adtollatur, ope stimulantium, serius roborantium medicaminum.) In reconvalescentia recidivae non sunt rarae, inde summa ut adhibeatur cautela quoad regimen, diaetam etc. opus est.

3. Extravasata sanguinis in cameris.

Sub hoc statu inflammatio cum insolita vehementia intrare solet; nam sanguis tam diu qua irritamentum agit, quam diu

resorptio cunctatur. Omnia itaque adhibeas, si prodesse vis, quae resorptionem quam citissime intendunt. Gangraena autem si instaret, remediis prius jam dictis est avertenda, vel si jam adesset, saltem extensio ejus arcenda, simul se- et excretio promoveatur necesse est, ut morbi consequutivi lethales abigi possint. Si autem vires cederent et in dies minuerentur, transgredieris dein ad stimulantia volatilia: angelicam, arnicam, camphoram, corticem peruvianum, anthos, squillam, cantharides e. s. p. Reconvalescentiam denique cura ad normam in libris practico-medicis datam.

VI. Periorbitis.

von: περι, *und* orbita, *Augenhöhle; daher Augenhöhlenentzündung.*

Non solum exitus, sed et decursus hujus morbi dirigunt tractamen. Aliter enim acuta, aliter chronica tractatur periorbitis. Praeterea diagnoscas: an resolutio vel suppuratio sint exspectandae, vel gangraena, aut necrosis, aut induratio futurae timendae vel jam praesto essent? aut, inflammatio haec si esset chronica, anne ulcus fistulosum vel caries, et quoad bulbum, anne amaurosis vel atrophia sint metuendae, vel anne revera adsint haec mala?

1. Resolutio.

Resolutio periorbitidis acutae hoc impetrabis modo, sicuti sub tractamine dacryadenitidis docebitur. Quam diu suppuratio non intraverit, resolutionem tenta per largas venaesectiones, per hirudines multas circa orbitam reiterate adplicatas, per inunctiones mercuriales in frontem et regiones temporales, et interne per tantas calomelanos doses, quae fluidas ciere valerent alviductiones. In primo initio nascendae inflammationis fomenta quadrant glacialia oculo superimponenda, tunc praeprimis, si inflammatio ista ex traumaticis orta fuerit causis. Serius haec fomenta non perferruntur. Chronica inflammatio postulat reiteratam hirudinum adplicationem medicinalium in circumferentiam plagae aegrotantis, inunctiones mercuriales, nec non provocationem artificialium in superficie secretionum.

2. Suppuratio.

Suppuratione adparente fomenta commuta cum tepidis cataplasmatibus, quibus et herbam cicutae, aut hyosciami adjicere potes; sed et mercurialia omittere noli. Quam primum

autem fluctuatio, etsi imperfecta, est percipienda, puta, cum incisione non amplius esse cunctandum, et hanc per duplicaturam conjunctivae si perficis, optime tibi ipsi consulueris; nam palpebram inter et bulbum apertissime percipietur fluctuatio et contentum facillime prorumpit. Ast paries externa inferioris aut superioris palpebrae est perscindenda, si per eam fluctuatio apertius ope digitorum tangitur. Quod ipsam adtinet operationem, hanc ea peragimus ratione, sicuti serius sub tractamine dacryadenitidis edocebimus, sed ea cum distinctione, ut apertura scindatur sat magna ad longitudinem circiter pollicis unius — unius et semis. Depletione facta introducatur in aperturam externam fasciola lintea subtilis, ne praemature vulnus factum conglutinetur. Cataplasmata autem prius dicta sunt imponenda, donec omnis durities evanuerit et bulbus in orbitam regressus fuerit, si eam pro parte dereliquisset. Suppurationem remansam vel ulcus exinde enatum secundum characterem curemus, nostrum est.

3. Gangraena.

Omnes heroës regiminis antiphlogistici ad debellandum huncce morbum in auxilium vocamus, iisque tali utimur modo, quali sub tractamine blepharitidis aut ophthalmiae idiopathicae uti didicimus.

4. Necrosis.

Sequentibus satisfacere studeamus indicationibus:

a) Inflammatio in circumferentia ossis necrotici eo est dirigenda, ut secerni possit pus genuinum.
b) Libera puris evacuatio est procuranda promovendaque.
c) Exfoliatio ossis emortui est maturanda.
d) Os denique necroticum solutum arte est amovendum.

Primae indicationi satisfit per cataplasmata emollientia oculo superimponenda, per tepida involucra atque fomenta et per cetera omnia, quae ad suppurationem tractandam pertinent.

Secundam indicationem adimplere conamur per dilatationem orificii ope spongiolae pressae vel scalpelli, et dein aquam injicimus tepidam cum siphunculo, qua et pus facilius effluit, et omnes vulneris partes mundantur. Deligatio secundum regulas chirurgicas.

Correspondent, ut tertia adimpleatur indicatio, saepius repetitae mites ossis necrotici commotiones, sustentatioque suppurationis plasticae. His omnibus et inunctiones adjicimus mercuriales.

Quoad ultimam indicationem: amovemus os necroticum

solutum in mollibus jacens partibus, ope volsellae aut epitonii. Priusquam autem os necroticum removeas, attendas velim, anne statum perscrutando os tangas mobile, vel, anne ex integro persuasus sis: os amovendum sat parvum, vel aperturam in partibus mollibus sat magnam esse, ut os solutum sine difficultate extrahi possit. Quoad cetera secundum regulas chirurgis notas procedendum.

5. Induratio.

Modificabis et casui huic adaptabis tractamen, quod serius inducam de induratione glandulae lacrimalis loquuturus.

6 — 7. Ulcera fistulosa — Caries.

Inspicias, quaeso, inflammationes celeberrimi Prof. *Hager*, et ibi tractamen invenies ulcerum fistulosorum et cariei, sub titulis: *Behandlung der Entzündung, wenn der Ausgang in Geschwür droht, oder, den häufigern Fall angenommen, bereits eingetreten ist; also des Geschwüres*, in specie ubi de forma ulcerum pag. 87 sermo est; et: *die Entzündung der Knochen*, in specie pag. 540, *wenn Geschwür im Knochen droht*, quod si justis cum modificationibus oculum respiciendo in usum vocaturus fores, recte facies.

8. Amaurosis.

De amaurosi plures jam existunt dissertationes inaugurales, hanc ideo, ne acta agam, omisi.

9. Atrophia bulbi.

Formae hujus anomaliae sunt:

a) Rutidosis seu rhytidosis; *von*: ἡ ῥυτιδωσις, *das Runzeln*.
b) Synchysis, *von*: ἡ συγχυσις, *Entmischung, Auflösung des Glaskörpers*.
c) Ossificationes in oculo.

Sub tractamine primarum duarum formarum discrimen est faciendum inflammatoriam inter et atonicam atrophiam. Praesente atrophia inflammatoria, per reiterates hirudinum circa oculum adplicationes perstantem inflammationem chronicam seponere studemus, nec non per fonticulum retro aurem, et per infrictionem unguenti mercurialis cum opio conjuncti in circumferentiam oculi. Cum his copulamus remedia vitalitatem oculi incitantia, ex quorum cohorte praestantissima: lucem aëremque lege artis adhibere fas est. Ast nec electricitas est spernenda;

porro embrocationes frigidae ad oculum directae, embrocationes cum infusis aromaticis, aut cum miscela de vino et aqua; plurimum autem balnea universalia sunt proficua. Praesente atrophia atonica methodum seligimus incitantem. Commendamus hunc ad finem aegro diaetam qualitate bonam, roborantem imo incitantem; aromatica, roborantia balnea; commorationem in aëre puro, sicco, libero, et infrictiones spirituosas, aromaticas, aethericas in frontem et regiones temporales cum mixtura oleoso-balsamica (balsamum vitae internum Hoffmanni) cum oleo cajaputi, menthae piperitae, cum vino cremato, aqua Coloniana, vino vetusto e. s. p., proderunt et balnea vaporea aromatica, oculo adcommodata, ex liquore ammonii caustici, vel infuso seminum foeniculi et herbae menthae; denique electricitas, cujus ope scintillae ad oculum atrophicum ducuntur. Nonnulli et electropuncturam adhibuere. Omnia autem nunc dicta valent solummodo de atrophia incipiente; evoluta enim atrophia famam medici peritissimi, qui hanc sanare vellet, oblivioni tradere posset.

Ossificationes sanare velle, conamen esset inane, nisi cataractam ossificatam, quae extrahi potest, excipere velles.

VII. Dacryocystitis,

von: το δακρυ, die Thräne, und: ἡ κυςις, die Blase; daher Entzündung des Thränensackes.

Amotis momentis morbum causantibus, tractamus eum, quemadmodum ejus symptomata jubent essentialia. Jubent autem phaenomena aut resolutionem ciere, aut suppurationem promovere, aut exitus alios jam factos curare, qui sunt: 1. ulcus; 2. blennorrhoea sacci lacrimalis; 3. hernia sacci lacrimalis; 4. hydrops sacci lacrimalis; 5. stenochoria canalis lacrimalis; 6. fistula sacci lacrimalis.

1. Resolutio.

Donec phaenomena inflammationis increscunt, tractetur vehementia eorum per topicas sanguinis depletiones: hirudines circa tumorem imponendo, iisque delapsis, fomenta glacialia aut fomenta cum oxycrato vel aqua saturnina impraegnata faciendo. Commendatur etiam sorptio aut injectio aquae perfrigidae in cavum narium. Sed et laxantia refrigerantia ne omittantur.

2. Suppuratio.

Commutentur, sed non illico, fomenta frigida cum tepidis cataplasmatibus jam notis, eaque tam diu adhibeantur necesse

est, donec fluctuatio percipiatur. Hoc dum fit, aperiatur abscessus et evacuetur per sufficientem incisionem, quae tali peragitur modo, sicuti sub tractamine anchylopis audivimus. Aperturae factae imponas fila ex linteo carpto ducta aut turundam ex linteo subtili paratam aqua tepida impraegnatam, ut praematura vulneris conglutinatio praecaveatur. Hanc autem tamdiu continuamus curam, donec omnis evanuerit inflammatio, quo facto fistulam habemus curandam simplicem, de qua serius loquar.

3. Ulceratio

hoc in casu fere numquam sola occurrit, sed potius una cum fistula incedit lacrimali. De his serius.

4. Blennorrhoea sacci lacrimalis.

Quis est, qui negaret, causam esse prius auferendam, antequam directis morbus adgreditur remediis? Scrofulosis itaque aut plethora abdominalis, si una cum blenorrhoea incedunt, abigantur vel ad exiguum saltem reducantur gradum. His copuletur fortis in cute derivatio per emplastrum cantharidum, vel infrictionem unguenti Authenriti retro aures aut in cervicem; diris in casibus et setaceum commendatur. Quod topicam adtinet curam, hanc secundum processus vegetativi characterem ut instituas oportet. Inflammatione adhuc praesente imminuendam habes auctam vitalitatem per sanguinis depletiones ope hirudinum et per infrictionem unguenti mercurialis. Porro malum hocce nuper exortum, si curare vis, saccum exprimas saepius lacrimalem, sed et saepius habes lavandum oculum integrum cum aqua tepida, eumque hac ratione a muco et crustis mucosis mundandum. Instilletur dein in angulum oculi internum aqua saphirina, cujus drachma ab initio cum uncia aquae destillatae est miscenda, de qua miscela pedetentim fortiori guttae 3 — 4 aliquoties de die instillentur. Nec sternutatoria hinc inde sumta nocerent. Praesente gradu altiori, ac duratione longa, aperiatur lege artis saccus lacrimalis et injiciantur per hanc aperturam arte factam medicamina immediate in cavum sacci hujus. Vulneri dein, ne claudatur, ab initio turundae, serius plumbum imponatur ductile. Primis diebus deligatio fiat simplex et saccus lacrimalis per injectiones aquae tepidae cum pauxillo tincturae opii mundetur, donec irritatio inflammatoria evanuerit. Haec autem si valida esset, adhibeantur primis diebus fomenta tepida ope compressoriorum parvulorum. Telam

autem cellulosam si invenires in circumferentia duram, cures eam per inunctionem unguenti mercurialis in internam narium faciem. Amota irritatione inflammatoria, injicias pluries per diem tenuem mercurii corrosivi solutionem (granum in unciis 7—8 aquae destillatae solutum), cui serius aliquid de tinctura opii et postremo pauxillum de aqua laurocerasi addatur. Huic curae si sequitur imminutio secretionis et tumescentiae membranae mucosae, introducas, velim, si vales, plumbum ductile, cum nodulo instructum in saccum lacrimalem, eumque hac ratione apertum sustinere tenta; et nunc aquam injicias saphirinam cum annaticis partibus aquae destillatae, serius solutionem lapidis divini, dein solutionem zinci sulphurici, et postremo aquam saturninam Solvantur de his remediis, 2—4ve grana in uncia aquae destillatae et injiciantur ab initio solutiones hae merae, serius cum scrupulo dimidio et denique integro tincturae opii. In dirissimis et inveteratis blenorrhoeis licet et lapidem in usum vocare infernalem aut in solutione aut in substantia. Praeferrendus est usus ejusdem in substantia. Exsiccatur hunc ad finem cavum sacci lacrimalis, eique postea intorqueatur conice acuminatus lapis infernalis, qui intus omnes parietum partes tangere debet adeo, ut subtilis oriatur crusta. Hoc facto plumbum iterum ductile aut bourdonnets introducantur, solutioque crustae naturae committitur. Delapsa crusta aqua injiciatur saturnina. Ast semel tentata lapidis infernalis adplicatio optatum effectum si non produxerit, repetatur ejusdem adplicatio, posteaquam reactio prioris adhibendi rationis evanuerit. Apertura autem in canali lacrimali tamdiu aperta teneatur, donec sanatio perfecta recuperata erit; et durante hocce processu regressivo adstringentia sunt adhibenda, eaque nec tunc temporis sunt amovenda, posteaquam membrana mucosa ad normalitatem fuerit reducta. Aperturam denique conglutinandam tegimus solummodo aut cum emplastro anglicano aut cum emplastro de cerussa nigro vel roseo, serico illiniendo. Cunctantem conglutinationem tractamus sicuti fistulam sacci lacrimalis. Concretiones autem et fungosae granulationes casuum inveteratorum ex longo perstantes tempore, sicuti stenochoriae sunt tractandae.

5. Hernia sacci lacrimalis.

Meliorem hucadusque nondum cognovi hujusve mali curam, quam continuam, sed cautam semperque fortiorem sacci lacrimalis compressionem. Huicce scopo optime inserviunt compressoria gradata, quibus lunata firma ex corio parata pelotta

superimponitur, et angustissima fascia tenetur. Compressoria autem dicta medicaminibus impraegnata adstringentibus, roborantibus, exsiccantibus, spirituosis, partim bis terve de die imponantur, partim in saccum lacrimalem aegroti in dorso jacentis instilletur pauxillum de saturata solutione boracis, aut vitrioli martis, aut vitrioli cupri; praeprimis autem laudatur ad hunc scopum aqua saphirina cum alcohole, aut spiritu aromatico, aut cum naphta vitrioli, aut balsamo vitae Hoffmanni; sed et saturatum corticis chinae vel quercus decoctum cum dictis additamentis spirituosis non ultimum meretur locum.

6. Hydrops sacci lacrimalis.

Proprio jam Marte quisque medicorum rescire debet, vim vitalem prius corroborandam vitiatamque secretionem membranae mucosae sacci lacrimalis tollendam esse, antequam directis hydrops debellandus est medicamentis. Membrana ergo mucosa nonnisi mollis atque tumescens, talem concedens explorationem, ut sine majori impedimento, quin aliquid duri tangeretur, mox et lente specillum in cavum narium perduci possit, modice stipticis et exsiccantibus remediis est tractanda. Introducatur itaque indies chorda cum laudano liquido Sydenhami illinita in saccum lacrimalem, et injectio fiat sub commutatione chordae cum solutione lapidis divini, laudano liquido Sydenhami, aut aceto lythargyri impraegnata. Sed et turunda chordae ad latus in saccum inducta lacrimalem cum laudano liquido Sydenhami est illinienda. Membrana autem mucosa compacta tumescens nequaquam nodulosa sub exploratione, tubae Mejanianae arduum in cavum usque narium transitum concedens, alterantia postulat remedia. Hunc ad finem chorda cum unguento Mercurii praecipitati rubro indies illinitur. Ab initio adplicationis hujus unguenti continet uncia dimidia butyri insulsi recentis grana 10—12 Mercurii praecipitati rubri, sed lente crescendo majoribus Mercurii dosibus uti licet, sicuti et postremo ad praecipitatum album transire non vetitur, sub quo usu omnia sunt evitanda stiptica additamenta. Nullo effectu impetrato, commendarem unguentum Hufelandii consistens ex annaticis partibus cerae flavae, butyri insulsi, et Mercurii praecipitati rubri; sed ob consistentiam compactam hiemali tempore impendendum non est. Etiam hoc unguentum nullam exserens virtutem commutamus cum unguento citrino, secundum pharmacopoeam Edimburgensem parato: *Rp.* Mercurii vivi drachmam, spiritus nitri fumantis drachmas duas, digerantur in balneo

arenae ad disparitionem Mercurii, dein solutio calida misceatur cum butyri insulsi unciis tribus. D. Indies cum unguentis dictis a mitioribus incipiendo turundae illiniuntur et in saccum introducuntur lacrimalem; sed et sub commutatione harum turundarum, injectiones ut fiant cum solutione sublimati indies saturatiori, laudano liquido Sydenhami commixta, perquam opus est. Membranam denique mucosam si invenies compactam, tumescentem et cryptas mucosas singulas adeo nodulosas, ut specillum perterebrare impos es, inungas praeter adplicationem unguenti citrini jam notam, in circumferentiam sacci lacrimalis indies unguentum Neapolitanum. His plures per dies si jam usus fuisti, et fluidum in sacco lacrimali contentum sub injectione per cavum narium stillatim effluit, utimur loco chordae a musicis dictae E chorda A, vel D. De sanatione autem tum primum mentio fieri potest, dum contentum per canalem lacrimalem pleno alveo fluit. Ast sub contenti hujus effluxu rite attendendum est, anne mucus cum lacrimis revera misceatur et resorbeatur, vel anne post turundarum extractionem merus emanat? Neuter casus si obtingit et aqua explorative injecta pleno alveo per canalem lacrimalem si fluit, statusque talis circiter 14 dies si jam animadvertitur, conglutinationem aperturae externae tentare possumus, lancettam callosos inter margines aperturae sacci lacrimalis circa axim suam longitudinalem tam diu rotando, donec margines ex integro videntur excoriati atque cruentantes. Apprimantur dein sibi invicem labia vulneris facti et tenentur appressa cum emplastro anglicano. Sequenti jam die apertura consuetim usque ad circumferentiam pili coalescit, ea tantummodo sese prodens ratione, quod amoto emplastro illico gutta ex lacrimis et muco constans, supra aperturam istam piliformem compareat. Aperturam, gutta deleta, oculo non armato, non videbis, tantum ex gutta iterum adparente eam praesentem agnosces. Istius autem aperturae coalitionem promoveri, perarduum est, quam nonnisi cauta adplicatione causticorum realisari posse dicunt. Verumvero concretionem in canaliculis et punctis lacrimalibus detectam, tollere velle, conamen foret inane. Hoc in casu aegroto inter mala duo liberum arbitrium est deferendum: aut ut incommoditatem omnem per integram ferat vitam, et saccum solummodo lacrimalem muco et lacrimis abundantem aliquoties per diem ope muccinii aut digitorum per puncta lacrimalia ut exprimat; aut ut saccus lacrimalis per inflammationem adhaesivam artefactam devastetur. Ast solummodo concretionem sub exploratione si detegimus admodum elasticam, ejus circumferentiam sat exiguam, et in ostio canalis nasalis in cavo narium residentem,

hanc dein cum scalpello *(mit dem geradeschneidigen Bistouri)* cujus apex cum nodulo ex cera parato tegitur, ne ullibi praemature infigatur, perterebrare licet. Guttae nonnullae sanguinis ex naso manantes, nec non sensus tactus operantis subtilis, argumentum praestant, perterebrationem feliciter peractam esse. Perterebratione facta scalpellum aliud *(geknöpftes Bistouri)* in cavum usque narium introducatur, quocum canalis lumen est dilatandum, ut chordae in usum vocari possint. Abactis tali modo hydropis causis cessabit et hydrops ipse.

7. Stenochoria canalis lacrimalis,

in dissertatione inaugurali collegae mei **Domini Czech** fusius explanata adparebit, hanc ideo omisi.

8. Fistula lacrimalis,

per operationem enata, est simplex et completa, sanationem brevi promittens tempore, cura adhibita a via non aberrante. Finita ergo operatione vulnus factum cum spongiola molli mundetur, labiisque, ceteris paribus, sanis et pure plastico praesentibus tegatur cum emplastro adhaesivo aut emplastro de cerussa aut emplastro anglicano, et coalitio plerumque mox sequutura naturae committitur. Ast coalitio si cunctaretur, suppuratione ad punctum recessa sat exiguum, porro, apertura si remanet exigua, per quam extrorsum lacrimae fluunt, si labia ejus ad intus verterentur formaque hujus mali si fieret infundibiliformis, tangantur dein labia cum lapide infernali conice acuminato, cujus acumen prius humectandum per momenta aliquot dein in apertura rotetur, ut crusta fieri possit, quam, ut solvatur, naturae committimus, emplastro eam simplici tegendo. Crusta delapsa deligatio fiat simplex, donec cicatrisatio impetraretur. Lapidem si quis adhibuisset sine effectu, utatur ferro candente pisiformi aperturae adaptato, cujus ope labia etiam in crustam transmutantur, et remota crusta ut prius tractentur. Medicus autem si vocatus fuerit, postquam malum hoc, aperitione sponte praegressa, longum per tempus jam duraverit, labiaque nunc offert dura et callosa, processus vegetationis si magis magisque retardatur et fundus atque circumferentia hujus mali a sanitate si jam deflexerint, tunc remedia supra dicta frustra tentabis. Hoc in casu apertura findenda est super specillum excavatum cum tenello scalpello per integram sacci lacrimalis longitudinem; fissuraque ipsa et saccus lacrimalis impleatur primis diebus cum linteo carpto molli ac subtili, aqua tepida humectato, quod deinde cum emplastro simplici est de-

ligandum. Deligatio haec continuetur, donec omnis irritatio inflammatoria post operationem remansa evanuerit. Tunc primum unguenta stimulantia sunt adhibenda, uti unguentum digestivum, elemi etc. quibus et, si opus esset, aliquid de myrrha aut mercurio praecipitato rubro addi posset; et his remediis tamdiu utimur, donec suppuratio plastica procurata est, labiaque cum granulationibus repleta adparent. Impetratis impetrandis deligationem simplicem ad perfectam usque cicatrisationem adhibemus. Ulceris denique circumferentia a sanitate multum si jam aberraverit: tela cellullosa si esset jam indurata aut hujus ulceris margines in amplo jam circulo si essent subrutae atque discolores, casusque ipse perquam inveteratus; devastetur dein tela cellullosa juxta saccum lacrimalem cum lapide infernali. Ceterum sanatio fistulae promoveretur, si saccus teneri posset vacuus. Commendamus ideo aegroto, ut diligenter per pressionem a fronte deorsum versus ad nasum directam hunc evacuet, quam evacuationem facile sub munctione, vel sub fremitu nasi cum stropheo invisibiliter peragere valet. Sed et inferiorem sacci lacrimalis partem stimulare valemus, aegroto pulverem sternutatorium stimulantem praescribentes, de quo aliquoties per diem pauxillum sumendum habet. Hoc tractamen valet de fistula ex inflammatione idiopathica orta, cetera lege in dissertatione inaugurali Domini Czech.

VIII. Dacryadenitis

von: το δακρυ, *die Thräne, und:* ἡ αδην, *die Drüse, daher: Entzündung der Thränendrüse.*

Nec ultimo in casu aliam prosequemur viam, quam hucadusque sequuti sumus, respicientes nempe exitum verosimilem enaturum, vel jam revera factum, quos hoc in morbo sequentes cognovimus: 1. resolutionem, 2. suppurationem, 3. indurationem, et diu durante inflammatione: 4. fistulam glandulae lacrimalis, 5. scirrhum, 6. cariem parietum orbitae.

1. Resolutio.

Quousque inflammatio suppurationem respuerit, resolutio est tentanda notis jam remediis, praeprimis sanguinis depletionibus. Praesentibus ergo phaenomenis inflammatoriis vehementibus, praesente aegro robusto, bene nutrito, praesenteque ejus aetate virili, phlebotomia remedium praestat non plus ultra; ast generaliter argumentando adfirmarem, nil topicas superare posse sanguinis depletiones ope hirudinum, quae magna copia ad regiones tem-

porales et circa angulum oculi aegroti externum, vel praesente jam tumore, circa eundem imponuntur, tamdiu easdem reiterando, donec remissio symptomatum contiguerit. Optimam autem hoc loco mercurialia exserunt virtutem. Inungatur hunc ad finem unguenti mercurialis scrupulum — scrupulum unum et dimidium cum opio abundante in frontem ac regiones temporales, et quidem omnis quantitas una solummodo inunctione; sed quotidie talis inunctio est repetenda. Interne adhibemus Mercurium dulcem uberis dosibus ita, ut alviductiones fiant fluidae. Frigus vix perfertur, imo istud auget phaenomena inflammatoria et rebus infeliciter cedentibus indurationem procurat. Utimur ab initio calore solummodo simplici sicco, oculum cum levi tegentes compressorio linteo, serius autem fomenta scopo huic inserviunt calida. Ceterum servet aeger regimen tranquillum et custodiat lectum in cubili frigidiusculo modice contenebrato.

2. Suppuratio.

Resolutione non impetrata, suppurationem intrandam ciere, forsan jam praesentem promovere, eamque ad maturationem perducere, nostrum est. Imponantur ideo cataplasmata ex farina seminum lini facta, quibus, si individuum hoc malo vexaretur irritabile, herba cicutae vel hyosciami ad componendos dolores, si notabiles essent, immisceatur. Noctu istum tegimus tumorem cum emplastro saponato vel de cerussa, vel concedente harum partium sensibilitate cum emplastro mercuriali. Adplicatio mercurialium eo diligentius est continuanda, quo melius suppuratio per processum resorptionis coërcetur. Abscessus aperitionem, donec est possibile, naturae committimus; nam quo serius aperitio contingit, eo citius postea abscessus coalitur; sed incisio penitus non est spernenda, praeprimis, si omnis durities prius evanuerit. Ceterum tractamen secundum characterem.

3. Induratio.

Glandula indurata tegitur cum emplastro mercuriali vel emplastro adhaesivo, manetque per menses cum tegumento hocce inperspirabili velata. Talis ergo adplicatio emplastri cujuscumque adhaesivi copulata cum balneis tepidis, iisque cum remediis, quae actionem systematis lymphatici augent, uti: antimonialibus, mercurialibus, drasticis ac emeticis, indurationem lente tollere valet. Praecavendus tamen est usus praematurus stimulantium in glandulam infrictionum, verbo: omnia stimulantia remedia atque calefacientia procul sunto; nam facillime tran-

situm indurationis insontis in malignam ulcerationem procurare possemus.

4. Fistula glandulae lacrimalis,


si est exigua, parum nocet, et incommoditas per lacrimarum emanationem enata, palpebram diligenter mundando superiorem ope muccinii tolli potest. Conglutinatio aut cicatrisatio sequenti procuratur ratione: Ostio fistulae prius absterso, cuspes lapidis infernalis antea jam turbinati imponitur, ibidemque tamdiu rotatur, donec omnis apertura in crustam sat notabilem transmutata fuerit, quae oleo amygdalarum venit illinienda. Sequuta exinde sat exigua inflammatio per frigida tollitur fomenta. Abacta deinde inflammatione deligatio fiat compressiva, ut impetus humoris lacrimalis ad ostium fistulae urgens, averti possit. Tegatur ergo fistula cum gradato compressorio, quod cum fascia, monoculus dicta, tenetur. Amotionem crustae naturae committimus, eaque delapsa, fistulam obtegimus cum emplastro simplici, vel de cerussa. Usus deligationis pressivae continuus sanationem sat mature promittit. Ast ea non impetrata reiteratio actus praegressi est indicata vel apertura ferro tangatur candente. Hoc facto tali procedemus modo ulterius, sicuti post cauterisationem cum lapide infernali. Curae huic topicae adjungas et remedia interna, quibus humorum massam per tubum alimentarem a capite derivare vales; ideo saepius durante tractamine mitiora laxantia ne omittantur. Denique omnia sunt strenue evitanda momenta, quae aegro flendi occasionem procurare valerent.

5. Scirrhus et carcinoma glandulae lacrimalis.

Ut curetur malum hocce nuper exortum, nil melius hucadusque cognovi, quam totalem, sed tamen non semper saluberrimam oculi exstirpationem. Serius autem palliative solummodo ut agas, memento; ideo reiteratis hirudinum adplicationibus ad frontem et regiones temporales, derivatione ope fonticuli retro aures, vel setacei in cervice, mundando fundum exulceratum et dolores mitigando, lenimen aegro ferre tenta, ut scirrhus et carcinoma, in quantum fieri potest, retardetur.

6. Caries parietum orbitae.

De hac jam loquutus sum.



Theses defendendae.

1.

Balnea, vina, Venus corrumpunt corpora nostra!
At faciunt vitam balnea, vina, Venus!

Martialis.

2.

Valetudo poscit concoctionem, indolentiam, deambulationem, moderatam animi hilaritatem et alvum solutam.

Cicero.

3.

Sordida cuti mordacia sunt.

Aretaeus.

4.

Quibus ante cibos se exercere licet, non tam exactam rationem victus requirunt.

Galenus.

5.

In exacerbationibus cibum refugere oportet, exhibere enim noxium.

Hippocrates.

6.

Non idem periculum carcinoma offert, nisi imprudentia curantis agitatum est.

Celsus.

7.

Vagitus uterinus figmentum.

8.

Ubi discissio est indicata, et dislaceratio perfici potest, sed non viceversa.

9.

Vinum longaevitati et favet et obest.

10.

Dantur partus serotini.

11.

Eunuchi non laborant podagra, neque calvi fiunt.

12.

Corpus consumendo vivit, hinc vivendo consumitur.

13.

Dantur pestes morales.

14.

Nihil magis saluti hominum obest, quam profanatio artis et scientiae nostrae mysteriorum.

15.

Urbes morborum castra.

16.

Morbum therapia simplicissima sanasse maxima medici gloria.

17.

Absurda idea, aquam omnem therapiae paginam absolvere.

